



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

LIV. Appendix de prædefinitionibus, cum aliarum obiectionum
responsione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

cimus de electione prædestinatorum ad gloriam. Nam, ut haberi possit eo modo, quo nunc illam habuit Deus, necessario supponit præscientiam eiusdem gloriæ, ut infallibiliter comparabilis per hæc, vel illa media, & ideo considerari non potest secundum se, ut abstrahit à tali præscientia, per quam obiectum capax talis effectus illi proponitur. Ut si autem spectatum illud decretum omnino est absolutum, & efficax, quia licet executio eius pendeat ex cooperatione libera tanquam à concausa, vel conditione necessaria, nihilominus ante tale decretum supponitur purificata conditio in præscientia Dei, & in obiecto, ut per illam proposito, & ideo absolute vult Deus talem gloriam dare, & per illam voluntatem efficaciter determinatur ad danda media quæ in præscientia sua novit esse efficacia.

30.
Responde-
detur ad a-
lias instan-
tias Ad pri-
mam,

Ad instantias verò facile responderetur. Ad primam aliqui dicunt decretum illud dandi gloriam de se abstrahere etiam à meritis, & aliis mediis pendebus à libertate hominis, ideoque esse posse omnino absolutum. Sed non placet, quia probabilius est, semper, & in omni signo prædestinasse Deum gloriam ut humano, & morali modo consequendam, & ut coronam, ac præmium meritum, in quo necessario includitur virtualis ordo ad merita, seu ad media moralia, & libera, saltem abstractè & in communi. Dicimus ergo, quod licet secundum hanc considerationem medium illud pendeat à conditione homini libera, tamen quia in præscientia Dei iam supponitur purificata conditio, decretum est omnino absolutum. Sicut inter homines, quia ignorant conditionem futuri eventus, promissio sub conditione talis eventus futuri conditionata est; si tamen fiat promissio sub conditione de præsentia cognita, nomine tantum est conditionata, & propositum internum necessario erit absolutum, quia purificata est conditio. Et simili modo dicimus ad secundam instantiam voluntatem dandi merita tali homini, seu voluntatem dandi illi fidem, charitatem, &c. esse absolutam, sicut mox de prædestinatione dicemus; neque id repugnat libertati, quia supponitur in præscientia futurus usus ille libertatis, & per illam suppositionem purificatur conditio, potestque esse decretum absolutum sine læsione libertatis.

Ad secundam.

31.
Ad tertiam.

Ad tertiam eodem modo dicimus, hoc decretum Dei de gloria hominis prædestinati virtute ordinari ad vocationem congruam, ut congrua est, concipitque ex suppositione congruitatis eius iam præiussa. Vocatio autem illa licet præcisè spectata non sit de se efficax, tamen ut congrua est, omnino est efficax, & ita purificata conditio, non impedit quominus decretum Dei sit absolutum.

Ad quartam.

Ad quartam negatur posse voluntatem humanam resistere illi decreto Dei, sicut non potest resistere vocationi congruæ, ut congrua est, & præiussa, ut tali. Neque hæc impotentia resistendi est contraria libertati, quia non est impotentia simpliciter, sed ex suppositione usus liberi iam præiussi. Nam si voluntas præiussa est hoc volitura in tali tempore, & occasione, iam non potest aliter velle, illa hypothese supposita, & nihilominus liberè est volitura, quia hoc ita futurum supponebatur; eodem ergo modo non potest voluntas resistere tentationi, quæ ex efficacia sua, & sapientia potest applicare media, cum quibus novit voluntatem consensuram.

CAPVT LIV.

Appendix de prædefinitionibus cum aliarum obiectionum responsione.

VT aliis obiectionibus satisfaciamus, pauca de prædefinitionibus divinis, quod tertio loco proposuimus, dicenda sunt. Et in primis circa verbum *prædefinendi*, seu *præsumendi*, (idem enim sunt in usu Scripturæ, & Patrum,) advertendum est, in significatione non distinguendum à verbo *prædestinandi*, nam indifferenter utroque Patres utuntur, ut ex infra citandis constabit. Et in Scriptura idem verbum Græcum *ἐπιλέγω*, vel *προσέλεγω*, interdum per verbum *prædestino*, interdum verò per verbum *præsumo*, aut *desinio* à vulgato interprete transfertur, ut videre licet ad Rom. 1. & ad Cor. 2. & ad Eph. 1. & Act. 2. & ita hæc verba ut synonyma ponit Salmeron in Præludiis ad epistolam Pauli tract. 2. disp. 1. ubi etiam addit verbum *prædispono*, quod minus usitatum est, & verbum *prædetermino*, quod etiam in Scriptura non inuenio, usu tamen Theologorum receptum est, ut statim dicam. Quia tamen hæc verba ex simplicibus composita sunt addita particula *præ*, circa utramque partem aliquid declarandum est, ut in verborum significatione æquioratio tollatur.

Circa verbum ergo *desinio*, aut *desino*, advertendum est posse, vel ad internos actus animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt, applicari. Nam *desinare* ad animam relatum idem est, quod *proponere*, vel *intra se constituere* aliquid faciendum, iuxta illud 2. ad Corinth. 8. & *desinam voluntatem nostram*, & cap. 9. *Prout desinam in corde suo*. Et iuxta hanc significationem in Deo explicuit verbum *prædefinendi* Paulus ad Eph. 1. cum dixit, *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum secundum propositum voluntatis sue*, & in eodem sensu loquitur ad Roman. 8. dum ait, *Hi qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de quibus postea subdit, *Quos prædestinavit, hos & vocavit*. Apud Latinos verò sæpe refertur hoc verbum ad exteriores actiones, & significat *mittere*, vel aliquid minus aliquem exterius designare. Idem considerare licet in verbo *desinendi*, nam communiter significat aut verbis describere, seu declarare voluntatem, & essentiam, aut certis terminis & limitibus rem aliquam terminare. Frequenter verò refertur ad animum, ut patet ex illo Actuum 2. *Humili desinito consilio*, & *præscientia Dei traditum*, & cap. 17. *Desinens statuta tempora*, & Luc. 22. *Vilius hominum sicut desinitum est, vadit*. Idem notari potest in verbo *determinandi*, in rigore enim significat exteriori actionem ponendi terminum certum, vel locum, vel temporis; transfertur verò etiam ad animum, nam quia voluntas de se indifferens est cum aliquid eligit, vel proponit, determinari dicitur. Et ita proportionem servata, idem est, *prædeterminare*, quod *prædefinire*, & utrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni, & æterni propositi, ut videre licet in D. Thoma 1. part. quest. 23. art. 1. ad 1. & 3. contr. gent. cap. 90. vel ratione externæ temporalis actionis, quæ causam secundam de se indifferenter ad unum determinat, & nunc moderni Theologi frequenter loquuntur.

Et ideo in lib. 1. de Auxilijs cap. 16. num. 6. & sequentibus, ad tollendam hanc verborum æquiuocationem, ne quæstiones confundantur, distinxit in Deo prædefinitionem, seu prædeterminationem ad intra, & ad extra, & proposui ut verbo prædefinendi, ad significandum internum decretum Dei, quia in hoc sensu inuenio magis vlitatum in Scriptura diuina verbum *definendi* Deo attributum: verbum autem prædeterminandi ad significandam externam actionem prædeterminantem accommodaui: quia neque in Scriptura diuina, seu in vulgata Latina hoc verbum vlitatum inuenio ad significandam prædestinationem Dei, & in rigore Latino verbum prædeterminandi propriè sumptum externam actionem magis significat. Quod si alicui, (vt video,) hæc accommodatio verborum non placuit, non contendo de verbis, dummodo res ipsa, de qua disputatur, ambiguitate verborum non confundatur. Idem notari potest in verbo *disponendi*, quod ferè idem est, cum verbo *preparandi*, in quo similem ferè distinctionem notauit D. Thomas 1. part. quæst. 23. art. 2. ad 3. alijs verbis, distinguens duplicem præparationem, vnam, quæ in passio recipitur, quam nos æternam vocamus, aliam, quæ manet in agente, quam nos vocamus internam, est enim propria agentis intellectualis, qui præconciendo, & volendo se preparat ad agendum; & ad hanc inquit D. Thomas prædestinationem pertinere, idemque nos dicimus de prædefinitione, quia, vt dixi, verbum prædefinendi, & prædefinandi in rigore æquiualeantia sunt. Inter verbum autem prædefinendi, & preparandi, hæc solet notari differentia, quod ea tantum dicitur Deus præfinire, quæ absolute decreto facere statuit: præparat autem dici potest, & illa, quæ sic decreuit, & quæ antecedente tantum voluntate disposuit, nam etiam dici potest Deus gloriam reprobis præparasse, vtique quantum in ipso est.

Denique ex dictis intelligi potest verbum *prædefinendi*, (& idem ferè est de cæteris ad propositum voluntatis applicatis,) verbum, inquam, *prædefinendi*, ex vi propriæ significationis suæ, non significare voluntatem Dei per modum exequentis, nec per modum proximi principij efficientis ad extra, sed ad prædefinitionem sufficere propositum per modum intentionis, seu electionis, id enim propriè significat verbum *prædefinandi*, vt ex Paulo notauimus, & in propria materia ostendi, & in sequentibus attingam: illi autem verbo æquiualeat, vt dixi, verbum *prædefinendi*. In nobis etiam id constat, rectè enim dicimus nobiscum definire, quæ facere intendimus, vel elegimus, iuxta illud 1. Machabæorum 1. Multi de populo Israël definiunt apud se, vt non manducarent immunda, & elegerunt magis mori, &c. Et sic etiam dicitur 1. Reg. 20. Intellexit Ionathas quod definitum esset à patre suo vt interficeret Dauid. Et idem est cum proportionem de verbo *definendi*, iuxta illud Machabæorum 6. Definauit non admittere illicita, & alia quæ supra citauimus. Ac denique talis definitio, vel prædefinitio solum est propositum quoddam voluntatis, quod de se vsum, & effectum antecedere potest, quamuis ad illam suæ physice, suæ moraliter, inclinet, & suæ propriè, suæ metaphoricè moueat, & inducat, Quod si quis dicat etiam voluntatem æternam Dei executiuam, qua in tempore operatur, esse definitionem, seu præfinitionem, non multum de verbo contendam, maximè quando illa voluntas est omnino absoluta, dummodo non asseratur, illam solum esse voluntatem prædefinitiuam, & in ordine intentionis non sufficienter saluari: hoc enim, & si

ne fundamento dicitur, & falsum esse ostendunt quæ adduximus.

Superest dicendum, quid denotetur per illam particulam *præ*, ex qua verba *prædefinitio*, *prædestino*, & similia componuntur. Quidam enim noui Theologi volunt, in proprietate solum significare antecessionem decreti diuini ad omnem præscientiam futurorum, secundum ordinem rationis, & omnem aliam significationem impropriad esse dicunt, & ideo in expositione Scripturæ quoad talia verba non esse admittendam, cum Scriptura debeat in proprietate sermonis explicari, quandoque commode potest. Sed hæc sententia quoad hanc posteriorem partem non habet fundamentum, neq; in Latina significatione illius dictionis, & compositionis in omni proprietate sumptæ, neque in Patribus, aut Scriptura, vt ex dicendis patebit. Dico ergo tria posse per illam particulam, & compositionem eius propriè significari. Primo quidem interdum significat non durationis, aut antecessionis ordinem, sed dignitatis excellentiam, sicut videri potest in nomine *Prælati*, aut *Præpositi*. Et sic de Virgine dicit Ecclesia, *Elegit eam Deus, & prælegit eam*, id est, ad singularem dignitatem elegit. Et hoc significatum in verbo *prædefinandi*, & appellatione prædestinatorum placuit Catherino, quia putauit non omnes saluandos esse prædestinatos, sed illos qui altiori modo, & ad singularem gloriæ dignitatem electi sunt. Neq; displice illa significatio Salmetoni in dicta disp. 1. neq; Lorino ad illa verba Actor. 2. *Hunc definitio Dei consilio traditum*. Sed licet significatio hæc non sit impropria, nobis non est necessaria, tum quia neq; auctoritate, neque sufficienti ratione ostendi potest Scripturam vti verbis illis in dicta significatione, tum etiam, quia omnino verum esse credimus, omnes saluandos esse electos, & omnes electos esse prædestinatos: tum deniq; quia ponitur interdum idem verbum respectu generalium effectuum prouidentie Dei, vt Actor. 17. vbi vulgata habet, *definens statuta tempora*, Græcè habetur participium *definis*, quod per verbum *prædefinandi* solet in alijs locis verti, vt statim dicam. Addo verò etiam si illa significatio admittatur, non esse illam abutendum ad opinionem Catherini de prædestinatione stabiendam; nam etiam in hoc sensu omnes saluandi prædestinati sunt, quia comparatione reproborum omnes fuerunt electi, vel præelecti, id est, ad singularem excellentiam, & dignitatem singulari beneficio destinati.

Secunda significatio est, vt particula *præ* in illis verbis Deo attributis significet antecessionem æternitatis ad tempus, quam significationem existimo esse propriissimam, & ad explicandam diuinam Scripturam, vbi oportuerit, esse aptissimam, & sufficientissimam. Hoc proba primò verbis Pauli ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit*, nam in verbo *præsciuit*, particula *præ* non necessariò dicit antecessionem rationis ad Decretum Dei, ergo sufficienter explicatur per antecessionem æternitatis ad tempus; ergo etiam in alio verbo potest habere eandem significationem omnino propriam. Vnde ex vi verborum Pauli solum haberi potest præscientiam, & prædestinationem esse æternam: quem autem ordinem rationis inter se habeant, inde non habetur, quod si ex ordine litteræ argumentum sumi posset, scientiam præire significatur. Sed neque argumentum est efficax, & quamuis admitteretur, non esset intelligendum de præscientia absoluta futurorum meritorum, sed de aliqua alia, vt in proprio loco explicatum est.

Tr

Confir.

7.

Confirmari hoc etiam potest, quia verbum Graecum $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\iota\omega$, & $\pi\epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\omega$ quasi synonyma in Scriptura ponuntur, & interdum ubi est verbum simplex $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\iota\omega$ in vulgata ponitur verbum *prædestino*, vel simile, & è conuerso, ubi est verbum $\pi\epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\omega$, in vulgata ponitur verbum simplex *decerno*, aut *definio*. Exempla sunt ad Rom. 1. *prædestinatus* filius Dei, Graecè $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\epsilon\iota\omega\tau\omicron\varsigma$, & è contrario Act. 4. *Quæ manu tua, & consiliū tuum decreuerunt fieri*, Graecè $\pi\epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\omega\tau\omicron\varsigma$, in cap. verò 8. utrumque verbum est compositum, ibi, *Quos præsciauit, & prædestinauit*, & ibi, *Quos prædestinauit, hos & vocauit*, in utroque enim loco est verbum $\pi\epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\omega$. Idem inuenitur ad Ephes. 1. ibi, *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum*, & 1. ad Corinth. 1. ibi, *quam prædestinauit Deus ante secula in gloriam nostram*. Hinc ergo colligimus per illam particulam *præ*, significare antecessorem aternitatis: nam propter verbum simplex *definio*, v.g. Deo attributum censetur æquiualens verbo *prædestino*, quia decreta Dei non possunt esse nisi æterna; ergo signum est per particulam *præ* significari antecessorem aternitatis.

8.

Obiectio.

Dices ergo in verbis citatis, *quæ prædestinauit Deus ante secula*, superflue addidisset Paulus particulam *ante secula*, quia per particulam *præ*, iam id esset significatum. Respondeo potius inde confirmari, quod dicimus, nam illa particula, *ante secula*, addita est ad explicandam antecessorem per verbum *prædestinandi* indicatam, sicut 1. Petr. 1. ubi de Christo dicitur, *præcogniti quidem ante mundi constitutionem*, ista postrema particula addita non est, nisi ad explicandam cognitionem Dei vocari præcognitionem propter aternitatem. Atque ita verbum *prædestino*, seu $\pi\epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\omega$ de antecessione aternitatis exposuit Origenes. ad Roman. 1. & Auctor commentariorum in eandem epistolam nomine Hieronymi ad Rom. 8. & aperte idem Hieronymus ad Ephes. 1. Item verbum *prædestinandi* non solum usurpat à Patribus respectu gloriæ, sed etiā respectu gehennæ, ut videtur licet in Augustino 21. de Ciuit. cap. 24. & in Enchirid. cap. 100. & lib. 2. de Peccator merit. cap. 17. & sæpe alijs locis, & Fulgentio lib. 1. ad Monim. cap. 14. & 17. 27. & 28. & Prosper ad obiectio. Vincent 10. & sequentibus. Ergo verbum *prædestinandi* in rigore, & proprietate non significat antecessorem ad scientiam, quia Deus neminem prædestinauit ad pœnam ante præscientiam peccatoris; ergo proprietas illius verbi compositi sufficienter saluatur per antecessorem aternitatis ad tempus. Et idem confirmari potest ex verbo *preparandi*: nam in hominibus in rigore solum significat antecessorem per aternitatem, ut ex D. Thom. retuli; idem ergo est in cæteris similibus verbis.

9.

Nihilominus addenda est tertia significatio illius compositionis, seu particula *præ*, quæ sine dubio est etiam satis propria, nimirum, ut non solum significet antecessorem aternitatis, sed etiam ordinem aliquem antecessoris secundum rationem fundatum, vel in ordine obiectorum, vel alia simili ratione, ob quam vnus actus Dei tanquam prior alio à nobis apprehendatur. Sic enim quia cognitio obiecti præcedit volitionem eius, hac ratione dici potest præscientia, vel præcognitio respectu volitionis, sic etiam, quia intentio finis ratione antecedit electionem mediorum, ideo propositum saluandi electos dici potest prædestinatio ad gloriam, etiam respectu electionis mediorum in particulari: & quia illud est propositum omnino gratuitum, etiam dici potest prædestinatio propter antecessorem ad absolutam

præscientiam meritorum. Ac denique, quia effectus, quos Deus est factururus, futuri non sunt, nisi ex decreto absoluto voluntatis Dei, ideo tale decretum potest dici prædefinitio per comparationem ad præscientiam eiusdem obiecti prædefinitum, ut futurum, vel etiam per comparationem ad ipsammet rem futuram, quæ in hoc sensu ideo præfinita dicitur, quia ex præfinitione habet, quod sit futura. Atque in hoc sensu dicuntur in Scriptura vel definita, ut Act. 17. vel præfinita, Danielis 11. & 12.

In hoc ergo ultimo sensu procedunt maxime obiectioes, quæ in hac materia ex præfinitionibus Dei sumuntur, quia ad perfectionem providentiæ Dei erga homines, & eorum actiones necessarium existimatur, ut Deus hoc ultimo modo omnes adus liberos in particulari, absoluto decreto, & ante præscientiam absolutam illorum, ut futurorum præfinitur; imò aliqui volunt, ut talis prædefinitio dicat antecessorem ad scientiam conditionatam eorundem futurorum. Et quia, qui ita sentiunt, omnia testimonio vel Scripturæ, vel Patrum, quæ de his præfinitionibus loquuntur, statim accommodant ad hoc genus prædefinitionis, seu ad hanc ultimam significationem, ideo voces ipsas accuratè distinguere necessarium existimaui, nunc de re ipsa quid sentiam breuiter propono.

Primo ergo certum existimo posse Deum prædefinitum actum liberum in particulari hoc genere prædefinitiois, & salua eius libertate. Hoc mihi sufficiens probant, quæ ad probandam electionem prædestinatorum adduxi, & in alijs locis hanc etiam assertionem late probaui, & ab Auctoribus, quibus nunc respondemus, libenter admittitur, ideoque in illa confirmanda non immorabor. Addimus vero hanc præfinitionem supponere præscientiam conditionatam, & ideo facillimè cum libertate actus præfinito conciliari, sicut de electione ad gloriam explicauimus. Vnde etiam adiungimus, hanc præfinitionem esse in voluntate Dei per modum intentionis actus præfinitum, non per modum voluntatis exequentis, ac per se immediatè efficientis ad extra illum actum præfinitum: sic enim non solum esset præfinitio ipsius actus, sed etiam prædeterminatio voluntatis creatæ ad efficiendum, quod eius laederet libertatem, ut supra ostendimus. Est igitur illa præfinitio talis intentio, quæ virtute includat habitudinem ad congruam vocationem præuiam, & efficaciter applicet voluntatem diuinam ad præbendam talem vocationem voluntati, offerendo simul voluntati creatæ concursum necessarium ad actum prædefinitum eliciendum. Atque ita fit, ut supposita prædefinitione infallibiliter illum eliciat, & nihilominus liberè, quia illa præfinitio non mandatur executioni per physicam prædeterminationem, sed per congruam vocationem, vnde fit, ut illa infallibilitas non sit ex suppositione omnino antecedente, sed concomitante, quia supponit cooperationem liberam humanæ voluntatis, sub conditione futuram in præscientia.

Vnde in hoc puncto tandem concludimus, sicut prædefinire actum liberum hoc modo non repugnare libertati, nihilominus repugnare illi quod Deus nullo habito respectu ad vsum libertatis sub conditione præuiam, apud se statuat, & præfinit facere talem actum, & sua potestate efficaci prædeterminare voluntatem hominis, ut illum faciat, quia talis modus præfinitionis induceret necessitatè contrariam libertati, ut satis in superioribus demonstratum est. Et de hoc genere præfinitionis loquuntur

Damasce. est Damascenus, cum negauerit Deum prædefinire actus liberos lib. 2. de fide cap. 30. Et in Dialogo contra Manichæ, quem merito D. Thomas de prædefinitione necessitante explicauit 1. p. q. 23. art. 1. ad 1. Neque enim alius modus prædefinitionis necessitante voluntatem humanam intelligi potest, ut in superioribus etiam est probatum. Quod enim quidam dicunt Damascenum loqui de præfinitione, per quam Deus præparat effectui causam ex se minime indifferentem, sed intrinsece determinatam ad vnum quoad specificationem, & exercitium, valde alienum à ratione est, quia ridiculam reddit Damasceni doctrinam. Ille enim agebat de voluntate humana, quam supponit esse liberam, & in suis actibus indifferentem, & de illa dicit, Deum non prædefinire eius actus, ne liberum eius usum impediatur, & quia nec vitium admitti vult, & rursum nec virtuti vim affert. quæ rationes euidenter ostendunt ipsum loqui de præfinitione inferente necessitatem ab extrinseco illi potentia, quæ de se liberæ operationis est capax. Nam talis prædeterminationis ab intrinseco, respectu obiectorum de se indifferentium & stante iudicio rationis, inuoluit in se repugnantiam, & contradictionem, supposita natura voluntatis; ridiculam ergo esse dicere, Deum non prædefinire actus tali genere determinationis, seu necessitatis, hoc enim in nullius mentem vnquam venit. Loquitur ergo Damascenus de præfinitione extrinsece necessitante, quæ, ut dixi, alia esse non potest, nisi quæ statuit Deus efficacia sua prædeterminare voluntatem, ad actum præfinitum, ut satis iam explicatum est. Atque ita responsum est ad secundam obiectionem principalem in præcedenti capite positam. Ex dictis enim sequitur hoc genus præfinitionis antecedentis non esse possibile salua libertate, sed non ideo sequitur tolli omnem præfinitionem, nam est vera, & sufficiens præfinitio, quæ licet præcedat ordine rationis actum absolute futurum, nihilominus non est suppositio simpliciter antecedens, propter usum libertatis præcognitum, & in ipsa præfinitione virtualiter obseruatum.

Secundò dicimus Deum nullo modo prædefinire actus liberos malos, non quia id repugnet libertati, sed quia contra ordinem diuinæ sapientiæ, & bonitatis esse credimus. Hanc veritatem præter Damascenum docuerunt satis expresse Leo Papa serm. 16. de Passion. Domini, ubi tractans verba Actor. 4. facere quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri, accurate distinguit inter passionem, & actionem, dicitque passionem fuisse decretam à Deo, non verò actionem. Numquid, (ait,) iniquitas persequentium Christum ex Dei orta est consilio? Et illud faciamus, quod omni maius est crimine, diuinæ præparationis manus armavit. Vbi certè non habet locum distinctio de præfinitione malitiæ, vel actionis malæ: nam de actione ipsa loquitur Leo, cum illam à passione distinguit, nec poterat manus præparationis diuinæ non armare manus exequentes Iudeorum, si eorum realem actionem Deus ex se, & suo præuio consilio præfinituisset, nam qui intendit efficaciter actionem, necesse est, ut præparet media, quibus infallibiliter eueniat, Eandem præfinitionem malorum actuum sub nomine prædestinationis negat, & impugnate Fulgent. lib. 1. ad Monim. nam cap. 14. proponit quaestionem, an sicut Deus prædestinat bona opera, ita etiam prædestinet mala, & cap. 17. negat, quia non ipse fecit, ut fierent, & quia initium talis voluntatis non est ex Deo, ut persequitur cap. 19. & sequentibus, ex quibus euidenter constat, illum etiam de

ipsis actibus prout sunt reales operationes loqui. Quæ est etiam aperta sententia Prosperi ad obiectum Vincent. in 10. & sequentibus usque ad finem, & ad cap. Gallorum cap. 12. 14. & 15. & in sententijs, quæ illis correspondent, ubi pro regula tradit, Deum non prædestinare opera, quæ nec ipse fecit, nec ut faceremus exegit. Et sic etiam dixit Augustinus lib. de Domino perseuer. cap. 22. quod Deus omnia quæ prædestinavit, impleuit. Et ideo in alijs locis non tribuit præfinitioni Dei omnes voluntates hominum, sed addit sub disiunctione permissionem, ut constat lib. 3. de Trinit. cap. 14. Vnde sumpta est regula 58. apud Prosperi. Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium, spiritualiumque motionum; nihil enim fit visibiliter & sensibiliter, quod non de inuisibili, & intelligibili summo Imperatoris aula, aut iubeatur, aut permittatur, & in Enchirid. cap. 93. Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo.

Dixi autem Deum nullo modo prædefinire hos actus, quia non solum illos non prædestinat illa prædefinitione, quæ antecedit secundum rationem præscientiam absolutam futuri actus prædefiniti, sed etiam neq; illos intendit voluntate antecedente, neque voluntate consequente illorum præscientiam eos acceptat, aut simpliciter vult, quamuis illos iam præuolos futuros ad alios effectus suæ prouidentia à se intentos, & aliquo modo prædefinitos illos ordinet. Hanc censéo esse sententiam communem Theologorum in 1. d. 47. & in 2. d. 38. & doctorum Patrum, præsertim Augustini in locis allegatis, & in Enchirid. cap. 100. & sequentibus, & lib. 4. de Ciuit. cap. 27. & enarrat in Psalm. 16. circa illa verba, ut non loquatur os meum opera hominum: & alibi frequenter, ut in lib. 3. allegatum est. Explico autem breuiter, & probo singulas partes. Et in primis de primo & rigoroso modo præfinitionis, quæ præcedat scientiam futurorum per modum absolutæ, & efficacis intentionis, videtur res nimis certa; quia, quod Deus sic intendit, etiam procurat, & prouidet media, quibus infallibiliter eueniat, quod Deo tribui non potest circa actus peccatorum, ut ex ipsis terminis cuiuslibet debita fide, ac pietatem consideranti euidenter videbitur, & latissime lib. 3. ostensum est, estque expressa sententia Damasceni loco statim citando.

Secundò addebam Deum non prædefinire hos actus quolibet alio modo, quod probatur, quia Deus non intendit illos, quantum ex se est, ac subinde nec intentione absoluta, ut dictum est, nec intentione simplici, seu antecedenti, aut quantum ex se, quod docuit Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. Damascen. dicens, Ex his, quæ in nostro arbitrio consistunt, ea, quæ bona sunt, primariè vult gratia, quæ habet Deus, mala contra, nec primariè, nec secundariè, verum libero arbitrio ea permittit. Dicitur autem Deus primariè velle ea, quæ ex sua mera voluntate intendit, siue absoluto actu, siue conditionato illa intendat, sicut vult omnes saluari; hoc enim exemplum in eodem capite adhibet Damascenus. Ergo ex illius sententia etiam illo modo non intendit Deus actus peccatorum. Et si quis totius capitis discursum legat, facile intelliget, eum loqui de actibus ipsis, ut sunt opera realia, quæ adiunctam habent malitiam. Et sanè merito, nam hoc satis est, ut à Deo, quantum ex se est, non intendatur, quod est valde consentaneum Scripturis, & rationibus factis in lib. 3. quæ hic repetere non est necesse.

Neque de his actibus reputamus inconueniens, quod in confirmatione secundæ obiectionis in præcedenti

cedenti capite inferebatur, scilicet, aliquem actum realem fieri prae intentionem Dei. Quid enim mirum est, quod sit prae intentionem eius, id quod Scriptura simpliciter docet esse contra voluntatem, & contra praeceptum eius? Hoc enim affirmat Scriptura non tantum de malitia talium actionum, vel de illis, ut mala sunt, sed simpliciter de ipsis actionibus materialibus liberè factis, ita enim à Deo prohibentur, ut in dicto libro 3. ponderauimus. Vnde inductione facile ostendi potest, multa homines facere, vel voluntariè omittere prae, vel etiam contra intentionem Dei. Quando enim Deus homini inspirat fidem, & ille vel non vult credere, vel vult in suo errore persistere, profecto prae intentionem Dei agit, quia Deus nihil tale intendebat. Quis enim dicat Deum cum aliquem vocat, intendere ut resistat? Imò potius intendit verè, & ex animo, quamuis non absolutè, sed quantum est ex parte sua, ut homo tunc consentiat, & contra hanc intentionem Dei agit, qui resistit, etiamsi non agat contra intentionem absolutam, haec enim frustrari non potest. Neque hoc derogat perfectioni diuinæ prouidentiae circa tales actus, etiam ut actus sunt, ut in secunda, & quarta obiectione opponebatur, quia licet non intendatur à Deo, non casu, nec fortuito eueniunt respectu eius, nec sine cura & prouidentia eius eueniunt, sed ex certa scientia, & voluntate permittendi illos, & concurrenti ad illos cum libero arbitrio ipso se determinante: id autem, quod me sciente, & voluntariè non impediens, cum possem, mihi euenit, non potest dici casu, aut fortuito, mihi accidere, ut per se constat.

17.

Denique addimus Deum nullo modo velle simpliciter hos actus peccatorum, ut reales, & positui sunt, etiamsi praeuideat illos esse futuros postquam illos permittit. Potest tamen velle aliquos effectus eorum, & ipsos etiam ordinare ad fines suae prouidentiae, iuxta infinitam sapientiam suam; & ita etiam potest aliquo modo praefinire tales effectus, & bona, quae ex illis malis elicit, licet ipsa mala nullo modo praefiniant. Tota haec doctrina sumitur ex Augustino locis allegatis, & in lib. de liber. arbitrii. cap. 20. & lib. 5. Genes. ad liter. cap. 20. Et declaratur breuiter per partes. Nam in primis est certum, si sermo sit de peccato, ut peccato, ut peccatum est, Deum nullo modo, & in nullo signo velle illud simpliciter, & absolutè, etiamsi postquam illud permittit, praeficiat esse futurum, quia est obiectum prauum, & proinde incapax diuinæ benevolentiae, seu complacentiae, & ita in hoc omnes conueniunt. Addimus verò, quod licet in talibus actibus per se spectatis, & praeficiat malitia mortalis, sit aliqua bonitas transcendentalis, seu physica, nihilominus propter coniunctionem, quam habent cum malitia morali, quae à tali actu hinc, & nunc à tali persona liberè facto inseparabilis est, & ideo talem actum nunquam posse simpliciter placere diuinæ voluntati, quia voluntas fertur in rem prout est in se, & illam formaliter volendo, virtualiter vult quidquid est cum illa inseparabiliter coniunctum, Deus autem nullo modo potest velle malitiam, nec formaliter, nec virtute, nec explicitè, nec implicitè, & ideo non vult talem actum, nec complacet in illo. *Mundi enim sunt oculi eius*, (ut Scriptura dicit,) ne vtrique scientia approbationis, & ita hoc probant alia testimonia, quibus Deus ostendit, quanto odio peccata prosequatur, quae supra lib. tractata sunt. Atque ita fit ut Deus nullo modo praefiniat talem actum sine praefinitione antecedente secundum rationem praescientiam

Habitu. 31

absolutam eiusdem actus futuri, siue subsequente ad eandem scientiam, & antecedente sola duratione aeternitatis, quia vtraque praefinitio requirit absolutam voluntatem talis actus, quam Deus non habet.

Neque contra hoc obstat, quod Deus ad tales actus voluntariè, ac realiter concurrat in tempore, quod facere non potest sine aeterna voluntate talium actuum. Dico enim non esse necessarium actum, quo Deus velit absolutè, aut praefiniat aliquo modo talem actum, sed sufficere voluntatem concurrenti cum libero arbitrio, & permittendi, vtrumque etiam operetur, si velit ex vi illius voluntatis, vel ipsamet Dei voluntas, vel potentia executiva eius influit in tempore cum causa secunda ipsa cooperante, ut in eodem lib. 3. explicatum est. Vnde quod quidam aiunt, nihil Deum ad extra agere, nisi per voluntatem praefinientem, est quidem verum de effectibus, quos Deus se solo producit, de effectibus autem, quos cum causis secundis facit, solum generaliter influendo, non est necessarium, neque vlla ratione fundatum, praesertim si intelligatur de voluntate absolutè praefiniente effectum ipsum, satis enim est, quod praecedat voluntas concurrenti modo dicto, & sub tacita conditione, si liberum arbitrium cooperatum fuerit. Illa autem voluntas, licet non sit praefinitio actus, potest aliquo modo dici praefinitiva ipsius concursus, non simpliciter, sed quantum est ex parte Dei, seu potest dici praefinitiva quoad offerendum concursum causae secundae; & applicandam potentiam executivam Dei ad cooperandum voluntati creatae, si per illam non desit. Sicut etiam voluntas permissiva Dei potest dici praefinitio quaedam non effectus permitti, sed ipsius permissionis. Nam ex vi illius voluntatis praefinit Deus non impedire actum, & eadem ratione praefinit patarum esse ex se ad coëfficiendum illum.

Neque etiam hinc sequitur Dei prouidentiam circa hos actus esse vel confusam, vel alio modo imperfectam. Non quidem confusam, ut in superioribus etiam dixi, quia illa voluntas concurrenti, licet praedictam conditionem includat, determinatur ex decreto Dei ad talem in specie, & in individuo, non tamen ad vnum tantum, sed ad plures sub distinctione, quantum indifferentia liberi arbitrii postulat; ad omnes verò sub eadem conditione, & dependentia à libera cooperatione eiusdem liberi arbitrii. Sicut permissio actus mali, etiam ut mali, licet non sit praefinitio actus, vel malitiae, nihilominus non est confusa, sed distincta, & particularis; permittit enim Deus talem speciem peccati, & talem individuum malitiam, quae hic, & nunc tali actione libera resultat; ergo ex hac parte nulla est confusio in prouidentia. Neque etiam ex alio capite est aliqua imperfectio; possumus enim distinguere prouidentiae curam, seu dispositionem in antecedentem ad effectum, ut futurum, & subsequenter, omnibus his modis inuenietur perfecta circa actus liberos non bonos sine praefinitione. Nam antecedens prouidentia circa tales actus optima, & perfectissima, est permissiva tantum, quae includit in primis, quod Deus der voluntati vires ad liberè volendum, deinde quod illi offerat concursum ad tales, vel tales actus, quos permittit, denique quod statuat non impedire talem actum, etiam si praeficiat, voluntatem malè operaturam, si ita operari sinatur. Haec enim sufficient ad prouidendum causae secundae, sicut oportet in ordine ad tales actus, & maior efficacia, vel maior voluntas Dei circa tales

rales effectus neque necessaria est, neque consentanea diuinæ bonitati. Neque etiam perfectio prouidentie postulat, vt æquali voluntate Deus omnia velit, sed potius requirit, vt vnumquodque velit prout suam maiestatem, ex bonitatem decet.

Præterea considerando ea, quæ pertinent ad subsequenter prouidentiam talium actuum, postquam futuri prævidentur, perfectissima inuenietur sine præfinitione ipsorum, quia vt ostendi in istis nec necessaria est, nec conueniens voluntas Dei absoluta, qua complacere in his actibus sic præuisis. Imò bonitati, & sapientiæ Dei consentaneum est, vt tales actus illi displiceant, & hic est primus actus huius prouidentie, quam subsequenter appellamus circa huiusmodi effectus, displicent Deo, & abominatur illos, seu odio eos habet, non quatenus ab ipso sunt, sed quatenus sunt à libero arbitrio. Et hinc sequitur, vt illos ad condignam penam ordinet, quod etiam ad hanc partem perfectæ prouidentie spectat. Potestque Deus, si vellet, ibi consistere sine imperfectione, (vt ita dicam) priuatiua suæ prouidentie, quia non tenetur ad alios effectus illos actus ordinare, vel aliter de illis disponere. Nihilominus tamen ex bonitate sua prouidet sufficientem medicinam in remedium talium peccatorum, quamdiu hæc vita durat; sepe etiam non tantum sufficientem, sed etiam efficacem modum illa tollendi procurat: aliquando etiam occasionem ex eis sumit alia maiora bona faciendi; habet ergo de his actibus perfectissimam prouidentiam, etiam si illos nullo modo præfiniat.

Hinc verò fit, quod ultimo loco posuimus, vt licet Deus hos actus non præfiniat, possit præfinire aliquos effectus eorum, vel fructus, quos ipse illorum occasione operari vult: hoc probat exemplum passionis, & mortis Domini cum verbis Petri Act. 2. & aliorum fidelium Act. 4. & quæ latè tradit Augustinus locis citatis. Et ratio est clara, quia licet actus peccati sit malus, effectus potest esse bonus, quia non est à peccato, vt peccatum est, sed vt actus est, & in ipso effectu separatur optimè bonitas illius ab omni malitia, & ideo potest Deus absoluta voluntate illum effectum velle, & definito consilio, ac decreto æterno illum definire, quod est prædefinire salutem secundum antecessorem æternitatis. Quod satis superque est ad dicta loca Scripturæ, maxime cum in eis non addatur particula præ, sed simplicia verba definiendi, vel discernendi ponantur. Vnde non est intelligendum hæc esse prædefinita in particulari ante permissionem, & præscientiam peccatorum, id est, secundum eas conditiones, quæ à peccato essentialiter pendent, vel secundum habitudinem ad talem causam, sic enim peccata etiam prædefinientur, quod negatum est fieri posse. Satis ergo est, vel quod fuerint prædefinita ante præuisionem peccati, secundum aliquam rationem de se abstractam à tali causa, vel medio, vel quod post præscientiam peccati fuerint acceptata, & prædefinita ex æternitate, & ad alios effectus diuinæ prouidentie ordinata. Et ita facile soluitur difficultas vltima tacta obiectione capitis præcedentis. Nam licet Deus ex infinita sua sapientia & potestate vt possit voluntatibus malè operantibus ad optimos effectus prouidentie suæ, tamen pro sua infinita bonitate id facit solum permittendo, non præfiniendo actus malos. Neque obstat, quod permissio præcisè spectata non sit sufficiens ad inferendum infallibiliter effectum, quia non est ita præcisè spectanda, sed vt coniuncta præscientiæ. At verò sup-

Er. Suarez de Gratia Pars II.

posita conditionata scientia tam infallibile est Deo, quid sit absolute futurum posita permissione, ac si esset prædefinitum. Solum est differentia, quod infallibilitas permissionis non est ab illa, vt causa, sed à pura scientia, quam supponit: infallibilitas autem præfinitionis ita est à scientia, vt etiam sit à præfinitione, vt à causa. Item voluntas permittendi non includit intentionem, vel voluntatem actus mali permitti: prædefinitio autem eiusdem actus includeret absolutam voluntatem, & intentionem eius. Ad denique voluntas permittendi non obligat, (vt sic dicam,) permittentem ad procurandum effectum permissum, sed solum ad non impediendum; voluntas autem prædefinient actum, antequam præsciatur absolute futurus, obligat de se ad procuranda media, quibus talis intentio impleatur, quod Deo respectu malorum actuum repugnat.

Tertiò principaliter assero, Deum prædefinire aliquo modo omnes actus bonos, non tamen eodem, seu æquali modo, sed quosdam principali quadam præfinitione, vt actus pietatis, & præcipue illos, qui ad salutem prædestinatorum, vel ad alios fines similes supernaturalis prouidentie à Deo absolute intentos efficaciter ordinantur; alios minus principali præfinitione, nimirum eos, qui vel sunt inferioris ordinis, vel qui non sunt ex primaria Dei intentione efficaciter intenti, sed tantum ex secundaria. Ad explicandam hanc assertionem suppono doctrinam D. Thomæ 1. p. q. 23. art. 7. in hac materia valde notandam, interrogando enim, an numerus prædestinatorum sit certus, respondet esse certum, non solum secundum modum cognitionis, quomodo numerus arenarum maris, vel etiam numerus reprobatorum, vel quorumcunque indiuiduorum est etiam certus, sed etiam secundum modum cuiusdam præfinitionis principalis. Ex hac ergo doctrina colligo ex mente D. Thomæ Deum non eodem modo, seu æqualiter præfinire omnia bona, etiam naturalia vniuersi, se quædam per se primò, & ex primaria intentione, alia secundariò quatenus ad alia primariò præfinita necessaria sunt, vt ipse ibi latè explicat. Sic ergo nos dicimus de actibus liberis bonis, omnes quidem esse præfinitos aliquo modo, quia omnes sunt à Deo ab æterno dispositi, & absolute voliti, & ordinati ad aliquod præmium, vel alium finem: totum enim hoc pertinet ad perfectam prouidentiam actuum bonorum, & sufficit ad aliquod genus propriæ præfinitionis, vt supra ostendi, non tamen sunt omnes æqualiter præfiniti, sed quidam primariò, & principaliter, alij secundariò, & quasi per occasionem, vt ita dicam.

Quod sic declaro, quia Deus ex primaria præfinitione decreuit numerum prædestinatorum, & gradum, ac ordinem illorum, & ad consequendum illum finem, hunc mundum instituit, & talem ordinem rerum, & causarum, ac prouidentie modum elegit, in quo, (sub conditione vtrique, si ita institueretur,) præuidit, vnumquemque electorum per tot, & tales actus, tantumque eorum numerum fuisse infallibiliter ad eum gradum gloriæ perueniendum, ad quem illum eligeret, & sic omnes illos actus prædefiniuit. Quæ præfinitio comparata ad electionem gloriæ secundaria est, nihilominus tamen propriissima præfinitio. Et comparatione illorum actuum reprobatorum, potest dici etiam primaria, vt iam declaro. Nam Deus prius ratione, quam decerneret talem ordinem rerum, sub quo electi infallibiliter saluarentur, sub eadem conditione præuidit in eodem cursu, & duratione rerum fuisse futuras alias

Tr 3

genera-

22.
Assertio
principalis
tertia.

Suppositio.
D. Thom.

23.
Declaratur
ista suppo-
sicio.

generationes hominum, quos etiam voluit creare, & ad beatitudinem ordinare, & sufficientia media eis providere. Et licet simul praeviderit neminem eorum fuisse bene illis usitum perseveranter, ac proinde neque salvandum: nihilominus etiam praecognovit ad tempus multos fuisse bene operaturos, & iustificandos, licet non essent in iustitia permanentes.

24. Sic ergo simpliciter, & efficaciter voluit, ut illi homines essent, & ut talia, vel talia opera facerent, quod potuit velle etiam ante praescientiam absolutam talium actuum futurorum, ac proinde per propriam praedestinationem, ut dicit antecessorem ad absolutam scientiam talium actuum, qui sunt praefiniti. Et nihilominus illa praefinitio secundaria, & minus principalis dici potest, quia non est ex illo proposito primario salvandis tales homines, sed quasi per occasionem, quam ordo rerum propter dictos praecipue dispositus pro alijs offerebat. Sicut numerus etiam reproborum, & omnium animarum certus est ex aliqua praefinitione divina, non tamen primaria, quia Deus per se non ita intendit numerum reproborum, sicut praedestinatorum, sed praevidit, si sub tali ordine rerum, & annorum, ac temporum constitueret praedestinos, futurum fuisse, ut aliorum non electorum hominum numerus tantus esset, & ideo consequenter illum praefinit, & maiorem, vel minorem esse noluit. Ad hunc ergo modum potuit eorum actus praefinire, & credibile est ita fecisse, vel in omnibus bonis actibus, vel saltem in actibus gratiae, & maxime in illis, ad quos sunt necessaria auxilia efficacia, & saepe maiora, & specialiora, quam ex generali cursu supernaturalis etiam providentiae dari soleant. De actibus autem inferioribus, & praesertim de moralibus ordinis naturalis, licet id etiam sit probabile, & facile defendi possit, non est tamen ita necessarium, quia sufficit praedefinitio aeterna, quae supponit praescientiam Dei absolutam eorundem actuum, & includit absolutam Dei voluntatem, & acceptationem eorum, & ordinationem eorum ad aliquale premium sui ordinis, vel ad alios fines divinae providentiae. Et ita est sufficienter declarata, & obiter probata assertio. Qui autem maiorem probationem desiderat, libros de Auxilijs consulat.

25. *Expositio dictae assertio-
nis tertiae,
et sic totum
opus conclusur.*

Atque hinc tandem facile expeditur tertia obiectio, quae sola superest ex positis in capite praecedenti, negamus enim per hanc doctrinam aliquid perfectioni divinae providentiae circa bonos actus derogari. Quod in primis est manifestum de his, quos ante absolutam scientiam Deus praefiniuit siue primario, siue secundario, quia non pertinet ad perfectionem providentiae Dei omnia, quae facit, aequè principaliter intendere; imò ad perfectum dominium, & libertatem Dei pertinet, ut pro suo arbitrio ad extra operetur, & ideo ex aequalibus bonis creatis potest vnum velle, & non aliud, & à fortiori vnum principalius intendere, aut praedefinire, quam aliud. Hoc autem supposito nullus alius defectus

perfectionis in providentia talium actuum cogitari potest. At verò etiam si aliqui actus boni non sint ita praedefiniti, sed tantum post praescientiam, stabit tota perfectio necessaria divinae providentiae, ut patebit facile applicando, quae supra dixi de providentia antecedente, & subsequente. Nam ad antecedentem spectat primum, quod Deus praebet, ut res sufficientes, tam ex parte liberi arbitrii, quam ex parte gratiae, ad efficiendos tales actus. Secundum quod ad illos offert concursum ex parte sua necessarium. Tertiò quod Deus quantum in se est, intendit talem actum, ut sic dicam, Quartò, quod illum aut praecipit, aut consilium, vel saltem tanquam honestum proponit. Quintò, quod paratus est aliquod premium propter illum conferre, vel etiam illud promittere, si homo non impediat. Atque haec prius videnter sufficere ad hanc partem providentiae. Quod autem ultra haec addatur praedefinitio antecedens, ubi Deus voluerit, potest pertinere ad quandam supererogationem, ut sic dicam, non tamen ad absolutam perfectionem providentiae. Imò esset nimis limitatio, & coarctatio libertatis divinae, si cogeretur singulas actiones etiam bonas determinate praefinire, & ita non posset liberi arbitrii curam gerere, ut illi etiam inter bonas actiones, omnino electionem relinquendo, ad omnes, & singulas, quantum esset se, concursum praebendo, provideat praesciens semper per scientiam conditionatam, quid operaturum sit.

Quoad subsequentem autem providentiam post praescientiam absolutam talis boni actus futuri habet Deus absolutam voluntatem complacentiae in illo; quamvis enim haec voluntas non sit operativa talis actus, nihilominus ad perfectam providentiam spectat, tum quia prudentis gubernatoris est bene operantes laudare, & eorum facta approbare, tum etiam, quia ex illo Dei beneplacito possunt aliqui actus, vel effectus providentiae subsequi. Secundò habet Deus voluntatem remunerandi tale opus. Tertiò ordinat illud ad alios fines, prout ad maiorem suam gloriam, vel ad alios effectus providentiae suae iudicat expedire. His ergo modis sufficientissime disponit Deus de singulis actibus bonis in particulari atque eos praefinit, quantum, & quomodo vult, iuxta consilium voluntatis suae. Et hoc etiam modo perfectissime utitur voluntatibus humanis tanquam supremus dominus, tum movendo illas, quantum necessarium, vel conveniens iudicat, tum sinendo illas operari, simul cum illis cooperando, tum denique illis siue hoc, siue illo modo operantibus ad alios fines providentiae suae utendo, ut eleganter Augustinus in locis citatis, & praesertim in Enchirid., exposuit. Igitur & perfectio providentiae cum dicto modo praedefinitionis divinae, & ipsa divina praefinitio cum efficaci gratia per vocationem congruam optimè conficit, & concordat, & utraque cum libertate optimè conciliatur, quod non ita fieri posse cum alio praedefinitionis modo, satis ostensum est.

F I N I S.

INDEX